

Patrem omnipotentem, quoniam in hoc mysterio ita Deus declaravit omnipotentiam, ut illa Herculeae inscriptione notari possit. *Non plus ultra*: hic enim est terminus, et ultima linea divinae omnipotentiae, nec alio transgredi potest. Quare iure optimo inter omnia religionis arcana vocatur hoc sacramentum mysterium fidei. Ad quod etiam docendum pertinere puto, quod Deus in veteri lege saxit inebens, ut quod non posset de agno Paschali comedi, qui huius sacramenti fuit typos, in ignem conficeretur: *Quod residuum fuerit, igne comburetis*. Quo legis praecepto nos monuit, ut quod assequi non possemus in tam imperscrutabili sacramento, remittamus, et relictius ad infinitum Dei potentiam, quae tanquam ignis absumat, et vincat omnes difficultates, quae humanae rationi se opponunt: *Quoniam non est impossibile apud Deum omne verbum*. Dicitur praeterca mysterium fidei per antonomasiam, et excellentiam: quoniam etsi verum est, quod in veritatibus catholicis intelligendis circa Christi divinitatem sensus nostri non se immisceant, immo procul excludantur, quod ea res spiritalis, et incorporea sit, ipsi vero rudes sint, et immersi corporibus, nec efferrant suum volatum super res, quae sensu non percipiuntur; ad intelligentiam tamen veritatum, quas catholica fides nos docet circa Christi humanitatem, sensus humani accersuntur tanquam testes integri, et omni exceptione maiores in huius causae discussione, et veritatis comprobatione: *Palpate*, inquit, *et videte, quod spiritus carnis, et ossa non habet, sicut me videtis habere*. Excellentia ergo huius sacramenti in eo posita est, quod ab ea re, ad quam maiorem habere actionem, et aditum nostri sensus videbantur, excluduntur per fidem, et semel, atque iterum iure suo privantur. In altissimo beatissimae Trinitatis mysterio, in unitate divinitatis, in Trinitate personarum, in consubstantialitate divinarum hypostaseon, in Patris innascibilitate, in Filii generatione, in Spiritu sancti communi spiratione, et aliis innumerabilibus mysteriis, quae in divinis sunt ad intra, intellectus noster non admittitur, sed iussu Pauli captivandus est in obsequium fidei; in hoc autem sacramento non solum intellectus, sed sensus omnes coercentur, et procul abiguntur: nam si gustus sentit se panem gustare, fides docet non iam illic esse substantiam panis, sed Christi: si olfactus dicit se odorari vinum, corrigitur a fide, dicente illic non esse vini substantiam, sed liquorem illum suavissimum divini nectaris, et ambrosiae, videlicet Christi sanguinem, in quem virtute verborum vini substantia convertitur. Quid hoc est, nisi non solum intellectum captivare, sicut in reliquis mysteriis, sed ipsos quoque sensus ablegari? quoniam mysterium est non sensus, vel intellectus, sed fidei, qua fateri debent catholici, sub illis accidentibus vere, et de ipsa Christi maiestatem latere in cibum animarum nostrarum, sicut ipse dixit: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Sed quid ais, o Domine? Anadvertite benignissime Iesu, tuam dedecore magnitudinem, si dicas te Deum esse cibi, et po-

tus: ea namque ratione haereticis praebetur argumentum ad asserendum, te non esse Deum, et consequenter nec Christum, nam homo, qui non est Deus, esse Christus non potest. Visue, quod aio, videre? recordare artificii, quo usus est Moyses apud Israelitas persuasurus non esse Deum vitulum ex auro factum, quem illi tantquam Deum colebant. Fregit vitulum, et in frusta, ac minutum pulverem comminatum praebuit ipsum bibeundum Israelitis, subiungens: Considerate o stulti, quem adorabatis Deum, esse cibum, quem modo bibistis, et comedistis; errorem igitur istum linquit, et animadvertite Deum non esse, qui vobis cibi vicem supplevit. Mirabilis autem est, quod Deus ipse haec etiam industria erga populum suum in exitu Aegypti usus fuisse narratur: nam, ut refert noster Galatinus (*de arcanis fidei catholicae*), desumpsitque ex libro, qui inscribitur Forlathium fidei, Aegypti pro Deo adorabant agnum flammis circumdatum; Deus autem, ut populo suo aperiret, Aegyptiorum agnum nequaquam esse Deum, sed vanum, et inane simulacrum, iussit ante discessum ab Aegypto agnum ab ipsis per singulorum domos comedi, ut ea re Deum Aegyptiorum cognoscerent non esse Deum, cum agnus humanorum corporum esset alimentum. Quod ita cum sit, quomodo te vis esse cibum, et potum? dicent namque hinc haereticis, te non esse Patri consubstantialem, et consequenter divinum non habere naturam. Huius difficultatis solutio, et responsio expedita est, si dixerimus, magnum esse discrimen inter cibum vivum, et mortuum: nam mortuum in nostram veritatem substantiam, ac per nos vivit in nobis: cuius generis erat cibus, quomodo Deus, et Moyses praebuerunt Israelitis, atque ideo validum erat argumentum, nec vitulum, nec agnum veros esse Deos, cum Israelitae manducarent, et naturali stomachi calore in carnem ipsorum, et sanguinem converterent; quae omnia prorsus repugnant immutabilitati Dei, dicentis: *Ego Deus, et non mutor*. Si vero cibus, vel alimentum vitam in se habent, contra fiet quam in mortuo; quippe te in se ipsum transmutabit: ideoque divinus hic cibus, cum auctorem vitae continet, non illum nos in nostram substantiam, sed ille nos in suam spiritualiter transformat; sicut ipse dixit dilecto suo Augustino: *Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me*. Hinc etiam colligetur, ut reliquis modo taceam, singularem quandam differentiam, qua differt coelestis hic cibus ab aliis cibis, quibus mortales vescuntur, et convivium hoc a ceteris conviviis, quae in amicum accabationibus celebrantur: nam cibo comesto, discus, in quo erat, manet integer, et intactus; in hoc autem mirabili convivio dum cibus editur, discus manditur, et frangitur, sicut accidentia, ut dixit s. Thomas: *Signi tantum fit fractura*; nec tamen cibus ipse, qui est Christi corpus, latens sub accidentibus consistitur, aut dividitur, ut ex eodem angelico Doctore canit Ecclesia catholica: *Non contrahitur, non contractus, non divisus, non diviso*

Non contractus, non divisus, non diviso

Integer accipitur. Nec sumptus consumitur.

Mille, et sexcentum prope sunt anni, per quos Dei fideles hoc divino cibo aluntur, et sustentantur; et tamen nunquam deficit, nunquam minuitur, aut virtutem amittit, sed eandem semper retinet, quam habebat, quando Christus tam salutare, et usque ad finem saeculi duraturum sacramentum instituit; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Verba Christi, Caro mea vere est cibus, etc. declarantur multis allatis Scripturae locis, et propositis efficacissimis rationibus, quibus haereticorum insania, praesentium Christi in hoc sacramento negantium, excipitur.

Communis Patrum sententia semper fuit, proposita verba (Joan. 6), *Caro mea vere est cibus, esse irrefragabile testimonium, quo vera praesentia carnis Christi in hoc eius sacramento confirmantur*. Hanc catholicam veritatem multa etiam alia divinarum litterarum testimonia consubstantiant: ex quibus nonnulla in hac homilia subnectam magis notabilia ad praesentis argumenti confirmationem. Quoniam vero in hac re profertores sunt Hebraei, primum testimonium desumamus a locis, in quibus ipsorum magistri hanc profertur, et docent veritatem. In clytus ipsorum magister seu Rabbi Kaannana verba Genesis transfert in hunc modum: *Ligans ad vitem civitatem locabit in vino vestem suam, et in sanguine urae pallium suum*; quae verba idem Rabbini explicans, inter alia sic ait: *Haec verba, ligans ad vitem civitatem, ostendunt, sacrificium futurum ex vino, quod transmutabitur in substantiam sanguinis Messiae; quod autem sequitur, rubicundiores sunt oculi eius vino, et dentes eius lacte candidiores, illud significat, quod in sacrificio, quod etiam ex pane conficitur, non obstante, quod album sit, sicut lac, convertetur substantia in substantiam corporis Messiae*. Et Rabbi Moyses doctor inter Hebraeos non minus celebratus, explicans verba Psalmi: *Qui dat escam, seu panem omni carni, quantiam in aeternum misericordia eius, ita inquit: Hoc est, quod dicitur (Psal. 33): Gustate, et videte quam bonus est Deus, quia nimirum panis, quem dat omnibus, ipse est rex Messias, et caro eius: et ubi nostra vulgata interpretatio vertit, *Erit frumentum in terra in summis montium*, Hebraeus legit, *Erit placentia frumenti*, quod interpretans Rabbi Salomon Hebraeorum doctissimus inquit: *Magistri bonae memoriae exposuerunt hoc genus placentiarum in diebus Messiae; quam placentiam fore ipsam Messiam sub hoc sacramento latentem docuit satis aperte Rabbi Isaac per haec verba: Sicut redemptor primus, ita est Moyses, fecit descendere manna; ita re-**

demptor ultimus, id est, Messias, erit placentia frumenti in terra. Secundum testimonium, et argumentum huius veritatis desumitur a regio Propheta in Psalmis, ubi loquens in persona Dei ait (Psal. 49): *Non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos*. Cuius rei duas assignat rationes. Prima est, ut ipse ait: *Quoniam meae sunt omnes ferae silvarum*: statimque subiungit rationem aliam magis concludentem: *Et pulchritudo agri mecum est*. Sermo quidem obscurus est, veritatem ad hoc significandum mysterium aptissimus: nam si agricolam interroges, quae sit agri pulchritudo, respondebit, segetes in agris, et vineas in vineis: frumenta enim, et vicia maxime campos exorant. Hanc pulchritudinem Deus ait esse, quia hoc sui corporis sacramentum institutum erat, et panis ac vini accidentia per sacramentum erant Christi humanitati sacramentaliter unienda: quae duae res supra ceteras omnes fertilem Ecclesiae campum fecerunt, et condecorarunt, ut dixit Zacharias (c. 9): *Quid bonum, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virginum?* Quae verba mirabiliter consonant Davidicis (Psalm. 49): *Pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi, meus est enim orbis terrae, et plenitudo eius: nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* minime certe: nam cum in Ecclesia sit caro, et sanguis Filii mei, ipsum mihi vult immolari, ideoque Propheta subiicit: *Immola Deo sacrificium laudis*; super quae verba ita loquitur Nicolaus de Lyra: *Immola Deo sacrificium Eucharistiae*. Ad ostendendam vero paritatem, et sanctitatem, quae sacerdos offerre debet divinum hoc sacrificium, adiungit David (Psalm. 49): *Pecatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? ubi per testamentum intelligitur Missae sacrificium, iuxta Lyrae expositionem: quoniam sacrificium vitulae, et Evangelium, ut plurimum ad iurgias, et novum pertinent Testamentum*. Concludit David Psalmum, inquit (ibid.): *Sacrificium laudis honorificabit me, sacrificium scilicet Eucharistiae, quod non solum in honorem meum redundabit, sed magnum filius meis afferet utilitatem: quia illic iter, quo ostendam illi salutare Dei, et Christus de se dixit (Ioa. c. 10): Ego sum via, veritas, et vita, aetate colligitur, et necessario consequitur, revera Christum sub illo accidentum velamine contineri*. Possumus etiam his addere, quod illa epitheta viae, veritatis, et vitae insinuat prius a Davide fuerant in praedictis verbis: *Illic iter, quo ostendam illi salutare Dei*: nam viam ostendit, cum inquit, *Illic iter*; et veritatem docet, dum ait: *ostendam illi salutare Dei*: nam viam ostendit, cum inquit, *Illic iter*; et veritatem docet, dum ait: *ostendam illi salutare Dei*: est enim officium veritatis, indicare viam, et dirigere iter agentes: vitam denique illic esse dixerat, *Salutare Dei*, siquidem Christus animae salus, et vita est.

Tertium testimonium est eiusdem Davidis

(Psalm. 21): *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum*: quod Eusebius Caesariensis (in lib. de demonstr. Evang.) intelligit de hoc caelesti cibo. Quam expositionem confirmant verba, quae sequuntur, quibus potissimum mea militat ratio (Psalm. 21): *Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae: in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram*. Certum enim est, in Ecclesia Dei a nemine unquam fuisse adoratum panem materialem, adeoque dicente Davide: *Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae*: id est omnes principes, ac reges in eius adoratione genua flexerunt, inferre inde debemus, ipsos censuisse in illo pane, vel potius sub accidentibus Domini laudare. Ad hoc propositum s. Augustinus (epi. 120. et sermo. 1. sup. Ps. 2) utitur eisdem verbis, quibus etiam consonant eiusdem Prophetiae verba in Psalmo 2. quoniam ubi nostra vulgata legit, *apprehendit disciplinam*, quidam interpres vertunt: *Oculumini filium*; alii, *adorate panem*. Quare utraque coniuncta interpretatio docet, Filium Dei, qui est panis vivus, per hoc sacramentum nobis exhibitum, ipso aiente: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi, venerandum ab omnibus, et adorandum*. Quartum testimonium petatur ab Osee: *Convertentur sedentes in umbra, vivent tritico, et memoriale eius vinum Libani*. Umbra, sub qua Propheta dicit sedentes convertendos, non alia, nisi Christi umbra est, ut animadvertit Chaldaicus paraphrastes, inquit: *Habitabunt sub umbra Christi sui*, quem vocat suum valde proprie, non modo quoniam Pater aeternus illum donavit humani generi; sed etiam, quia tunc magis proprie erat suus, cum se praebat hominibus cibum, se fidelibus, ut ita dicam, incorporans. Addit etiam quoniam voluerunt ab eo adumbrari, et sub eius vexillo morari, suo stipendio, et alimento sustentandi; ait enim, *vivent tritico, et memoriale eius vinum*, etc. Quod vertunt Septuaginta Interpretes: *Bibent, et inebriabuntur tritico*. Quis unquam vidit triticum hibi, vel homines eo inebriari? Id certe convenire non potest materiali pani, qui victus est hominum ordinarius; convenit tamen, et mirabiliter adaptatur divino pani sanctissimi Sacramenti, ubi caro, et sanguis Christi cibus, et potus animarum sunt. Unde convenienter ait Spiritus sanctus: *Bibent, et inebriabuntur tritico*: quam interpretationem, et declarationem confirmant proxima verba: *Et memoriale eius sicut vinum Libani*; quasi dicat, panis ille triticus eiusmodi naturae est, ut inter ipsum, et vinum perpetua societas, et germanitas sit: nam in oblatione, et sacrificio Missae accidentia panis, et vini associantur semper, et vinum sanguinis Christi semper comitatur sanctissimae carnis panem viventem. Ubi valde notabilis est Chaldaica paraphrasis, ita vertens: *Super vino veteri, quod bibatur in domo sanctuarie, nam vinum vetus appellatur, quia licet olim fuerit vinum, iam quidem post consecrationem non vinum, sed Christi sanguis est*. Vinum tandem vocavit Libani, quoniam talem animo nostro affert effectum, qualem Libani color praefert; Libanus enim Hebraice

dicatur a candore multarum in eo nivium, et copiosi thuris, quo semper albescit. Quomobrem cum albedo puritatis, et castitatis symbolum sit, animam nostram per vinum hoc mysticum, et divinum puram, et candidam fieri, vere dicemus, ut etiam docuit Zacharias, vocans illud (Zac. 9): *Vinum gemmans virgines*. Nisi forte dicere velimus, caeleste hoc vinum vocatum antea vinum, ad eius prelium significandum eximium: quoniam vinum, quod in monte Libani legebatur, pretiosum admodum, et aestimabile fuit; sicut etiam ceteri fructus, qui propter folii foecunditatem uberius illi proveniebant. Sed quia parum diximus videtur Osea, comparans divinum hoc vinum cum vino Libani, David (Psalm. 74) illud multo praestantius, et excellentius esse dixit, inquit, *supercolletur super Libanum fructus eius*.

Hactenus adversus Hebraeos: nunc si contra haereticos stylium revocemus, non minus illi, quam illi convincentur, quoniam cum ab haereticis novum Testamentum admittatur, facilius mihi erit apud eos probatio huius veritatis ex sacrae Scripturae locis, quibus vera Christi praesentia declaratur. Verum quoniam tractatio haec magis ad scholas pertinet, quam ad conciones, congeram in hanc hominiam, quae sacri verbi praecognitionis magis accommodata videbuntur. Satis manifesta sunt ad huius veritatis probationem Christi verba: *Caro mea vere est cibus*: ex quibus aperte liquet, Christi carnem non esse metaphorice, sed proprie, ac vere animarum alimentam: quod credere si velis, apertius eundem audi dicentem: *Panis quem ego do, caro mea est pro mundi vita*. Nec prodest respondere, ut faciunt haeretici, Christum loqui de carne sua per fidem apprehensam; et quod ipsa est, quam dabit pro mundi vita: hoc enim modo iam de illa antiqui Patres comederant, in Christum credentes venturum; et cum ipse panem ab illis comestum distinxerit a nostro, quem se promissum nobis daturum, cum dixit: *Nunc Moyses dedit vobis panem verum, sed Pater meus dedit vobis panem verum*, liquidum, et validum est argumentum, eiusmodi panem non esse carnem suam fide tantum acceptam, sed illam esse Christi veram carnem; quae re ipsa sub panis, et vini velamento delitescit. Unde s. Hilarius (lib. 8) praedictis testimoniis innoxius, loquens de veritate carnis, et sanguinis Christi, inquit: *Non est relictus ambigendi locus*. Sed adhuc clarior, et manifestior est aliud argumentum a Christi ore desumptum, in huius altissimi sacramenti institutione discipulis suis suae carnis esum, et sanguinis potum his verbis imperantis: *Accipite, et comedite*: hoc est corpus meum; quorum verborum manifestam veritatem ut fugerent haeretici, in varios, et impios sensus, et multiplices, vastissimasque interpretationes aberrarunt, ut Cardinalis Bellarminus (lib. 4. cap. 8. de sacramento Eucharistiae) recensuit. Inter quorum deliramenta illud est periculosissimum, quod Carolus Stadius delectat; hoc est corpus meum, idem esse, quod hic, sive in hoc loco est corpus meum. Amentia certe manifesta haec est: quid enim opus

erat dici a Christo in eo loco esse suum corpus, quod Apostoli, et discipuli sui praesens intuebantur? Secundo, quoniam verba haec, *Hoc est enim corpus meum*, assignant rationem verborum praecedentium, *Accipite, et comedite*; pateque minime esse consequens dicere comedite, quod vobis do, quoniam hic, id est hoc loco sedet corpus meum. Alia expositio est quorundam Calvinistarum, ut refert Iansenius (c. 59. concor.), dicentium Christum illic locutum de corpore mystico, videlicet de suis discipulis, non de suo naturali corpore. At si ad verba quae sequuntur transeamus, *Quod pro vobis tradetur*, statim cognoscemus manifestum huius opinionis errorem: siquidem corpus, quod eis praebat manducandum, ipsummet erat, quod pro ipsis postea morti tradi oportebat, naturale scilicet, non mysticum. Unda Concil. Trid. ex allegatis auctoritatibus sic de hac re decernit (sess. 13. c. 1): *Sancta Synodus confitetur, post panem, et vini consecrationem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum, atque hominem vere, realiter, et substantialiter sub specie illarum rerum sensibilibus contineri*. Quae verba sunt tam plena mysteriis, ut si diligenter examinaverint, in singulis singulae pariter haereres dannerunt. Nam cum dicitur, *S. Synodus*, improbat haeresis Protestantium, et aliorum haereticorum, qui Trident. Concil. non legitimum Concilium, sed conciliabulum vocabitant. Cum vero ait eadem s. Synodus, *post consecrationem Dominum nostrum Iesum Christum sub specie panis, et vini vere, realiter, et substantialiter adesse, impugnat, et condemnat haeresim Ubiquitarum*, Christum etiam ante consecrationem qualens hominem in omni loco esse dicentium. Cum vero ait idem Concilium, *virtute consecrationis in hoc sacramento esse Christi corpus*, labefacturum attributionem ipsius promissioni, non virtuti verborum; vocansque eadem Synodus Christum, *Deum verum*, refellit haeresim execrandam Arrii, negantis Christum esse Deum, et Patri consubstantialem. Cumque subiicit pariter esse verum hominem, explodit errorem Manichaei, aientis Christi corpus esse phantasticum; asserensque *sub specie rerum sensibilibus contineri Christum*, eliminat Lutheri blasphemiam, dubitantis de concomitantia sanguinis cum corpore sub specie panis, et corporis cum sanguine sub specie vini; et docens illic vere contineri Christum, exclaudit, et profligat haereticos sacramentarios, aientes in hoc sacramento esse tantummodo per figuram, et typum; addensque *realiter*, condemnat errorem eorum, qui tantummodo approbant praesentiam carnis Christi intentionalem, prout per fidem apprehenditur, negantes realem eius praesentiam secundum proprium, et illius naturae corpus, prout ab impio Calvino didicerunt. Ad extremum dicens s. Synodus Christi corpus *sub utraque specie substantialiter contineri*, refragatur errori quorundam Calvinistarum, credentium solum in caelo esse substantialiter Christum, in hoc autem sacramento adesse non substantialiter, sed media quadam qualitate, et virtute, quae ab eius substantia derivetur.

CARTHAGENA de SS. Trinit. et Christ. Dom. — Vol. IV.

Idem etiam adverbium, *substantialiter*, docet nos quomodo Christum adsit in hoc sacramento, videlicet per modum substantiae, non quantitates, nec enim occupat locum, ut extra sacramentum. Veruntamen quoniam tam patentibus testimoniis protervia, et pertinacia haereticorum nostri temporis non cedit, rem agam rationibus: quarum prima sit, figuras semper esse viliores, et minus aestimabiles quam res, quae ab ipsis figurantur, et indicantur; unde Paulus scribens ad Colossenses rerum figurarum umbram, et res figuratas corpori comparavit. Quomobrem si, ut volunt haeretici, in hoc sacramento Christus vere, et realiter non esset, proculdubio manna huius sacramenti figura, ut Christus apud Ioannem, et Paulus scribens Corinthiis testati sunt, fuisset maioris dignitatis, et aestimabilis, quam ipsum per manna praefiguratum; manna enim confectio erat angelorum manibus elaborata; hoc autem sacramentum hostia est, hominum opera ex tritico confecta: illud omnem confinebat saporem, et cuiusvis gustui accommodabatur; haec sacra placentia sapit panem, et quidem azymum, nec tempore maceratum, aut sale conditum. Quod si inspiciamus, et consideremus significationem utriusque, perspicuum est, melius Christum per manna representari, quam per panem simplicem, et usalem, cuius non tam praeclearae, et mirabiles, quam mannae caelestis sunt proprietates; unde necessarium foret dicere, hoc sacramentum dignitate materiae, et significationis ab imagine sua, videlicet a manna superari: quod adeo forte erroneum, et absurdum, ut nec ipsi haeretici in illud impigerint. Praeterea non ignorant haeretici, dici a Paulo eum qui ad hoc sacramentum indigne accedit, reum esse mortis aeternae, quia: *Non iudicatus corpus Domini iudicium sibi manducavit, et bibit*: ergo necessario confiteri debent, in hoc esu, et potu vere Christi carnem, et sanguinem includi; alias enim iudicium sibi non manducaret, et biberet, qui indignus et Deo inimicus acciperet: nam paschalis agnus, et manna Christi carnem in figura, et umbra continebant, nec tamen, qui vescerantur illis, etiam si Deo grati non essent, et accepti, peccabant mortaliter. Tertio, quoniam naturae lumen docet Deum, qui est summa veritas, nunquam facere, nec posse facere miracula in alicuius falsitatis confirmationem; sed cum videamus ad huius catholicae veritatis corroborationem ostendendam, nempe Christum in hoc sacramento esse realiter, prodigiosa ab eo miracula fuisse facta, quale fuit, cum convertit in ore cuiusdam haeretici hostiam consecratam in lapidem, quoniam impius ille, quod de veritate praesentiae corporis Christi Ecclesia confitetur, non credebat, ut Ioannes diaconus (in vita s. Gregorii) refert: et quando canes, quibus obiecta fuerat sanctissima Eucharisticae hostia, suos dominos tanti sceleris auctores moribus dilacerarunt, ut scribit Optatus (lib. 2. contra Parnen.), et alii multi, et Ambrosius (in orat. Sat.), et Gregorius Nazianzenus (ora. 1061), Sozomenus (lib. 8), et Cyprianus (lib. de lapsis) retulerunt, et nos (in fine huius lib.) latissime commemorabimus. Quibus exemplis adicere placet

singularia verba, quae Bernardus, sanctissimam manibus hostiam tenens daemoni dixit, ut in eius vita narratur, quae huiusmodi sunt: *Adest inquit spiritus iudae tuus, adest summa potestas, adest ille qui pro nostra salute passus dicitur, nunc princeps huius mundi eiecitur foras: in cuius fidei virtute daemone a corpore, quod torquebat, eiecit. Quare si pro confirmatione verae praesentiae corporis Christi in hoc sacramento tot, ac tanta miracula Deus patravit, ad huius catholicae veritatis fidem cum invocantibus, et credentibus concurrerit, nemo, nisi amens, et impius omnino sit, illam audebit diffidit. Quod etiam roboratur ex sacris Conciliis, et Ecclesiae Patribus, qui nunquam cessant ingenia miracula, quibus iam divinum sacramentum abundat, verbis exaggerare, et magnam Dei potentiam admirari: quod certe non facerent, si Christi caro per figuram illic tantum, ut desipiunt haeretici, addeset: ad id namque non miraculis, sed simplici ipsius institutione opus fuisset. Ultimam argumentum ad huius veritatis probationem est gravitas poenae, quam sacri canones olim imponebant his, quibus propter negligentiam aliqua hostiae particula, aut sanguinis guttula in terram decedebat, ut constat (ex dist. 2. de cons.), quam poenam ita negligentibus infligi iussum non fuisset a Patribus, si panis ille, et vinum essent tantum figura Christi, et non illum vere, ac realiter continerent. Cernimus enim crucem ipsam, et alias imagines nobis repraesentare Christum, non tamen similis imponitur poena, quibus incaute aut negligenter in terram de manibus erux, vel sacra alia imago deciderit. Ultimo claudo, et stabilio adductum superius testimonium ex communi Patrum Ecclesiae sententia, inter quos s. Ioannes Damascenus (lib. 4. c. 14) inquit: *Non est figura panis, et vini; absit enim hoc, sed ipsum est corpus Christi: et s. Ambrosius (de sacram.) Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum hominis per gratiam, sed quasi filius ex substantia Patris: ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus. S. Chrysostomus (in hom. de s. Filog.) inquit: Praeclarum nobiscum agi quam cum Magis: illi enim viderunt Christum, non tamen secum tulerunt; nos autem nobiscum eum ferimus: et (in lib. 3. de sacer.) ait: O miraculum, o Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, et in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur. Augustinus (in Psal. 33): Iudaei de crucifixo oblebrati sunt, Christiani vero comedendo crucifixum illuminantur. Irenaeus (lib. 5. cap. 2. adver. haeres.) Qui negant nos communicari sanguine Christi, etiam possent negare esse redemptos vero sanguine Christi: quia sicut Apostolus dixit, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, ita dicit calicem Eucharistiae esse communicationem sanguinis eius: et qui per metaphoram hunc sermonem evertit, poterit etiam alium destruer. Ac tandem s. Cyrillus loquens de hoc mysterio adversus curiosos, qui omne tempus impendunt discutendis huius sacramenti difficultatibus, modum eius scire cupientes, inquit: *Quomodo, non cogitemus, aut proferamus; Iudaicum enim hoc***

verbum est, et extremi supplicii causa: vocat Cyrillus, quomodo, verbum Iudaicum, quoniam Iudaei dixerunt: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? S. Ephrem (in lib. inscrip. de non scrut. Dei nat.) ita scribit: Noli scrutari inserutabilia, nam si ista curioso rimeris, non iam fidelis vocaberis, sed curiosus; esto fidelis, et invocans participam immaculato corpore Domini, fide plenissima certus, quod apud ipsum integrum comedis. Ad quem modum multi alii Patres de hoc altissimi sacramento loquuntur, quorum testimonio adducit doctissimus cardinalis Bellarminus, tractans de hoc fidei mysterio, et corporis Christi sacramento; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V.

Probatum adhuc, et stabilitum vera Christi in hoc sacramento praesentia, praeiterque declarantur Ecclesiae verba: O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.

Narrat Florus antiquus, et gravissimus auctor, idque refert doctissimus Ambrosius, habitatores Insularum Balaerum, quosodie Majoricam, et Minoricam vulgus appellat, adeo valuisse iactu fundarum, ut inde dietae illae Insulae fuerint Balaeres, quod nomen graecum est, a verbo vallio, id est iacere, deductum. Industria vero, et artificium, quo boni, et certi iaculatores, ac funditores efficiebantur, huiusmodi erat, Matres lentaculum pueri daturae panem in sublimi locabant, quem manu apprehendere non possent, nec aliter accipere, nisi fundae iactu decisissent. Quae Balaerium Insularum consuetudo mirabilis profecto est typus, et imago rei, quam per hos dies facit Ecclesia catholica, ponens filiis suis ante oculos panem coelestem in alto Eucharistiae sacramento, neque illum eis dare vult, nisi prius in eum iaculenter iaculis vitae fidei, iaculis spei certae, iaculis charitatis ardentis: haec enim est proxima dispositio, ut copiose mirabiles divinae gratiae fructus participemus. Quam utinam ipse nobis largier impertiat, ut propositorum verborum utilem, et exactam proponamus explicationem. Primum verba haec continent certissimam veritatem, quae omnium fidelium animis esse debet infixa, videlicet, in hoc divino sacramento veram Christi carnem contineri, et assumi: ait enim Ecclesia: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur.* Dominus cardinalis Bellarminus, disserens de hoc sacramento, refert Lutherum magnum fuisse desiderium, quod et ipse fatebatur, impugnandi, et refutandi hanc catholicam veritatem de vera Christi in hoc sacramento praesentia, esse tamen adeo clara, et manifesta sacrae Scripturae testimonia, qui-

bus illa roboratur, ut quomodo illis foret respondendum, ignoraret: nam qui audit Christum dicentem in hodierno Evangelio: *Caro mea vere est cibus*, quomodo potest hanc veritatem inficari, vel dicere, Christum non esse in hoc sacramento secundum propriam substantiam, sed per figuram, ut haeretici desipiunt? Non tamen defuerunt impii haeretici, qui dixerunt, non magnum esse in his Christi verbis, *Caro mea vere est cibus*, fundamentum huius veritatis, quoniam etiam Christus dixit (Ioan. 15): *Ego sum vitis vera*; planum tamen est, ipsum non esse vitam proprie, sed metaphoricè, ideoque hoc etiam modo intelligi posse verba Christi dicentis: *Caro mea vere est cibus*. Sed longe decipiuntur huiusmodi stolidi homines, quoniam quando Christus dixit: *Ego sum vitis vera*, ipsemet declaravit se loqui per metaphoram, siquidem statim subiunxit: *Et vos palmites*; quasi diceret, sicut vos estis palmites metaphoricè, ita etiam ego vitis per metaphoram, et similitudinem. Quod si quis occurrat, inquit, metaphora est opposita veritati; quomodo igitur Christus dixit: *Ego sum vitis vera?* respondeo, Christum esse veram vitam in eo, quod quemadmodum vitis non dat vilam nisi palmitibus sibi unitis, ita Christus non praebet gratiam suam nisi his, qui cum ipso coniuncti sunt per amorem, et charitatem. Praeterea quando Christus dixit, *Caro mea vere est cibus*, nullum verbum protulit, ex quo aliquam ibi metaphoram possumus agnoscere; immo ipse declaravit, cibum illum, quem dabat, esse vere, et realiter carnem suam, inquit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Interrogo te, si forte hortos, aut villam haberes, ad quam animi recreandi gratia divertes, non procul ab urbe postam, et aliamque pariter domi haberes in tapetibus, et aulaeis figuratam, moriensque illa legares in testamentis: relinquo filio meo secundogenito hortos, et villam meam, nonne stultum esset si primogenitus reclamaret, et diceret, hortos, et villam, quam pater fratri meo legavit, in illo tapete depicta est; accipiat igitur ex testamento tenor. Hoc si diceret in publico consilio, vel in iudicio allegaret, nonne ab omnibus irrideret, audiretque, tu plane stultus es, ac mentis inops? Nam pater tuo hortum, et villam fratri tuo legante sine aliqua verborum adiectione, vel distinctione, non intelligi debet villa, vel hortus tapeti intextus, et figuratus, sed qui vere, et proprie hortus, et villa est. Sic etiam ad nostrum propositum, cum ait Christus in suo testamento se relinquere nobis carnem suam in cibum, *Caro mea vere est cibus*, de vera, et reali eius carne, non de pictura, vel figura illius intelligere debemus. Quia etiam si velimus diligentius considerare, et examinare vocem illam, *cibus*, cognoscemus ideo ea voce, et nomine Christum appellasse carnem suam, ut argumento nobis esset, illum loqui de vera carne, non de figurata, ut haeretici somniant: nam si bene philosophemur, hoc differunt gustus, et tactus a reliquis sensibus, quod horum obiecta non intrant secundum substantiam suam in ipsas sen-

tiendi facultates, vel potentias, nec ipsis adhaerent per proprium esse, sed media specie intentionali, ut vocant Philosophi, quae est imago, per quae obiecta repraesentantur: exempli gratia, si tu cernis altare aliquod, non quidem ipsa materia altaris in oculos, sed eius imago penetrat; ad gustus, vel tactus non contenti specie, et imagine rerum, ipsas quoque res secundum proprium, et verum earum esse, sive substantiam admittunt, et recipiunt: constat enim gustum non posse refici, vel recreari panis, aut vini similitudine, vel imagine, sed vera utriusque substantia: unde cum Christi caro, ut ipse dixit, vero sit cibus, quo anima sustentatur, necessarium est fieri, in hoc divino sacramento realiter, et vere carnem, et sanguinem Christi, non eius umbram, vel figuram a Christi fidelibus assumi, ut canit Ecclesia: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur*.

Sequitur deinde: *Recolitur memoria passionis eius*. Angelicus doctor Thomas genera signorum ita distinguit: *Triplex est genus signi, aliud rememorativum, aliud ostensivum, aliud prognosticum*: quam divisionem iuxta trium temporum differentiam, praeteriti, praesentis, et futuri, assignat: *Rememorativum* signum respicit praeterita, cuiusmodi signa sunt, quae solent inelucti duces ad memoriam praeclearum suorum facinorum retinere: signum ostensivum, vel demonstrativum est, quod indicat rem praesentem, sicut clavis aurea a zona pendens ostendit, et notat hominem nobilem, cubili regio servientem, et insignis, sive habitus s. Iacobi in pectore gestantis indicat nobilitatem: signum tandem prognosticum futura respicit, et praedicit, ut solent cometae, quorum ortu res adversae vel prosperae praenotantur, et portenduntur. Haec tria signorum genera complectitur Eucharistiae sacramentum: nam dum ait Ecclesia: *Recolitur memoria passionis eius*, signum rememorativum nobis ponit ob oculos, quippe per illud reducit nobis in memoriam sacratissima Christi passio, quam pro nobis moriens in cruce toleravit. *Mens impletur gratia*: ecce signum ostensivum, quod demonstrat effectus huius sacri cibi praecipuos, videlicet participatio copiosissimae ambrosiae, hoc est gratiae divinae, qua mens recreatur, et sustentatur. *Et futurae gloriae nobis pignus datur*: ecce signum prognosticum: quoniam digna huius sacramenti perceptio nobis pollicetur, et praenunciat vitam aeternam: estque praesens festivitas, tamquam vespera, et vigilia festivitatis, quam in suprema patria, caelesti beatitudine celebrabimus. Haec enim coniunctio, sive unio carnis Christi cum anima, et carne recipientis, est quasi semen aeternae gloriae, quod pro fructu dabit essentiae divinae unionem in ratione speciei intelligibilis cum intellectu beati, qua divinam ipse videbit naturam, illaque fructur per omnem aeternitatem. De his igitur tribus signis nonnulla dicamus, quibus reliquae huius homiliae partes absolvantur. Est divinum hoc sacramentum signum, ut ait d. Thomas, rememorativum: quoniam per illud triumphi, et victoriae Christi pro nostra salute mortui renovantur, ut

docuit sancta Synodus Tridentina (sess. 13. c. 5) de hoc ipso loquens Altaris sacrificio, ait enim: *Quo mortis eius victoria, et triumphus repraesentatur.* Alexander ab Alexandro (in lib. sex. de curia genualium cap. 6.) describens pompam, et apparatus quo veteres Romani triumphare celebrare solebant, inter alia multa, quae portabatur in triumpho, inquit deferri tabulam solitam, quae omnia triumphantis praecleara facinora depicta gestare omnibus inspicienda. Quare triumphus nil aliud erat, quam ad vivam expressa imago eorum rerum, quae in bello gestae fuerant. Optime igitur sacra Synodus dixit per sacramentum Altaris triumphum, et victoriam mortis Christi repraesentari: nam consecratae species panis, et vini simulacrum quoddam sunt, aptissime nobis repraesentans Christi passionem, quandoquidem vi, et virtute verborum, quibus panis conservatur, solum Christi corpus sub specie panis continetur; vi autem verborum, quibus calix sacrorum, Christi tantum sanguis adest, reliqua utrobique per concomitantiam: divisio autem carnis, et sanguinis mortem indicat, cum vivere corpus sine sanguine non queat. Altamen occurrit aliquis, dicens: Quomodo, si sanctissimi huius sacramenti fessae dies laetitiae, et gaudii nobis causa esse debet, Christus vult, ut memoria repelamus clavos eius, crucem, et mortem, cum anctore Spiritu sancto verum sit illud (Ecc. 22): *Misericordia in luctu importuna narratio?* unde non videtur decere praesentis temporis solemnitatem, et exultationem luctus, dolor, et lacrymae, quas nobis necessario elicere debet recordatio Christi pro nobis morte sublato. Huic difficultati satisfaciunt Concilium Viennense sub Clemente V. Romano Pontifice per haec verba: *In hac sanctissima commemoratione adsunt nobis suavitalis gaudium simul, et lacrymae, est enim hodierna dies amoris festivitas: ac propterea mirandum non est, si pariter in ea sit gaudium, et tristitia: amaritudo, et dulcedo; dum passionis Christi luctuosa commemoratio cum divini amoris suavitate per hunc cibum ostensi coniungitur. Nam et Plautus, ut refert Alciatus (in suis emblematicis) dixit: Amor melle, et felle est foecundissimus gustui. Unde fit, ut quo die Christi amor convivium suae carnis exhibet, ministrat cibum melle dulciorem, omnem saporis suavitatem in se habentem; praebet tamen simul cum illo condimentum amarum, videlicet memoriam crucis, et mortis Christi: in cuius rei imaginem olim Deus mandaverat agnum huius sacramenti figuram comedi cum lactucis amaris, ut intelligeretur, huius divini cibi esum semper oportere memoria passionis Christi condiri, prout ille praecipit: Hoc facite in meam commemorationem. Adde superadditis aliam rationem non contemnendam: quod, ut experientia docet, carnes venatu captae eo sunt leniores, et gustui gratiores, quo magis cervus fuit a venatoris canibus agilitus: ideoque Christus salvator noster carnem suam nobis pro cibo dare cum statuisset, ut esset nostro gustui suave, animae nempe iucundior, voluit se tanquam cervum a venatoribus infestissimis lu-*

daeis, tanquam a rabidis canibus investigari, dum in memore Getsemani ipsum crudeliter agitarunt, ut sic nobis redderetur gratior, et amabilior: nam, ut dixit Bernardus (in Cant.): *Super omnia reddet amabilem te mihi bene Iesu calix, quem bibisti nostrae redemptionis.* Possimus etiam dicere, ideo nobis per hoc sacramentum passionis Christi memoriam redintegrari, ut gratias ei agere pro tam singulari beneficio non obliviscamur: quod regius Propheta nos facere admonuit his verbis (Psalm. 41): *In voce exultationis, et confessionis sonus epulantis: quasi dicat, qui sacramentum suscipit Altaris, in laudem Dei, et gratiarum actionem totus effundatur, redigens in memoriam praeteritum beneficium mortis Christi, et praesentem beneficium eiusdem, dum se sub specie panis, et vini hominibus praebet manducandum. Hanc gratitudinem praeclearum non docet, quod accidit Danieli in laeo luctu: hic enim, quod speraverat sibi famescenti a Deo subsidium mittendum, cum per dies sex cibum non sumpsisset, accepit panis frustum, audiensque (Daniel. c. 13): *Daniel serve Dei accipe, et manduca, respondit, recordatus est mei Dominus.* Si ergo Daniel se gratum ostendit Deo pro frusto panis: quid quaesumus ageret, si accepisset panem hunc angelorum? Certe multo melius, et ardentius dixisset: *Recordatus est mei Dominus.* Ad excitandos autem animos vestros in gratiarum actionem, quod vos tam sacri, et regii epuli convivias admisit, reducite in memoriam verba, quae dixit Aman, quando illum rex Assuerus convivio excepit (Est. 5): *Regina quoque Hester nullum cibum vocavit ad convivium cum rege praeter me. Ubi notabilis est vox illa, praeter me, quam unusquisque vestrum audietores, cum ad hoc tam caeleste convivium accesserit, sibi accommodare debet. Consideret, ut tantum beneficium plaris aestimet, quod existentibus novem choris angelorum, quorum infans hominum ordine praestantior est, nempe illorum huius divini convivii epulas accumbat praeter hominem: unde merito dicere potest, et vere, tanto convivio admissus, beneficium tam singulare recognoscens: Nullum cibum vocavit ad convivium praeter me: id enim est, quod s. Thomas dixit: *Manducet Dominum pauper, servus, et humilis.* O magnam humani generis excellentiam, et inauditum honorem! Deus angelis permittit tantum huic ad stare convivio, et coelestes divinasque epulas intuentes non gustare, immo nec mensae inservientes ferula tam divini cibi aliis dividere, vel ministrare, quoniam officium assumentis, vel aliis distribuendis ad solos pertinet sacerdotes, ut ibidem angelicus Thomas (in of. sanct. sacrament.) docuit: *Solis presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, et dent ceteris.* Quamobrem si laetae dignitatis, et honoris praerogativa Deus nos angelis praefulsi, aequissimum erit, ut perpetuum huius amplissimi beneficii memoriam retineamus, gratiarum nunquam immemores: ob id namque, ut saepe dixi, memoriale, seu memorativum signum appellatur.**

Est etiam signum *ostensivum*, quoniam qua-

si digito nobis ostendit effectus suae gratiae mirabiles: per illud enim nostra mens impletur gratia, cuius tanta virtus est, ut omnem a nobis depellat imbecillitatem, ingeratque constantiam, et fortitudinem, qua rebellantibus adversos nos hostibus reluctari valeamus. Quod si difficile creditur, et intellecta vobis videtur quid dixi, adducto aegrotantis exemplo facilius percipietis. Cum quis illa morbo languet, et acritudine deficit, ut de consilio medicorum, ad cor ipsius erigendum, et recreandum, propinari ei aurum, ambarum, gorgonia, sive coralium oporteat. Non datur ei calculus ambari, vel coralli, nec auri globulus, sed ex bene trita horum aliqua quantitate, saccharo commista buccellae fiunt, vel tessellae, in quibus lieet non appareat ambarum, vel corallium, revera tamen aegrotus buccellata illa frusta comedens, ambaro, auro, et corallio vescitur. Non secus homo exanimis ferre, et penitus imbecillis egebat omnino ad suae mentis corroboracionem carne Christi, qui dixerat: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: et quia carnem Christi in forma, et materia propria suscipere magnum in ceteris horum manducantibus, et quod illi quondam dicerent: *Durus est hic sermo, et quis eum potest audire?* ad evitandum hoc incommodum caro Christi substatur vini, ac panis accidentibus, sicut ex illis mystica placenta, et buccella, quam qui comedit, simul etiam aurum, ambarum, et coralium pretiosissimum carnis Christi comedit, non tamen in figura propria visibili, sed sub imagine cibi, quo accepto mens alitur, et roboratur. Huic proposito aptissima sunt, et notata dignissima verba Davidis, quibus ad vinum declarandum, quam animabus nostris offert divinus hic cibus, illum vocat firmamentum: *Erit firmamentum in terra in summis montium.* Varias hic locus habet interpretationes, quarum nonnullas magis notabiles adducam huic argumento maxime convenientes. Prima translatio est: *Erit pugillus tritici in terra.* Duo significat pugillus tritici, quavis respectu diverso: notat quippe manum continentem triticum, et triticum ipsum pugno contentum: unde non solum pugillus tritici panem, sed etiam carnem significat: ob idque cum hoc sacramentum non solis accidentibus panis, et sola Christi carne, sed utroque simul consistat, pugillus tritici vocatur. Bargasius, secundum paraphrasem Chaldaicum, qui multis ante Christum annis fuit, ubi nostra vulgata inquit: *Erit firmamentum in terra, legit, erit placenta tritici in terra in capitibus sacerdotum.* Quid vero aliud hoc est, nisi hostia sacra, quam supra capita ipsorum elevant sacerdotes? Hieronymus (in Ps. 71) legit: *Erit memoriale tritici in terra, id est, in Ecclesia agitur, et celebrabitur memoria de Christo crucifixo, qui est triticum, in cruce, quasi in pistrino contritum.* Alia translatio veritatis: *Erit triticum alius:* quae manifeste declarat, in hoc sacramento proptissime adesse Dei Filium, quoniam ipse solus est ex divinis personis, qui humanae carni in hoc sacramento occulte unitus fuit; ad quod decla-*

randum apertius alii legunt: *Erit panis heroum.* Hoc verbum exponens Ambrosius, ait: *Heroes sunt illi, quos fabulatur antiquitas altero parente Deo, altero mortali nato: illo optime Christo convenit, cum aeternum Patrem, matrem vero habuerit mortalem. Sed melius meo iudicio quid sit heros, explicavit Lucianus: *Heros est, qui nec totus Deus, nec totus homo est; et tamen utrumque simul est: secundum quam definitionem dicere vere possumus, sacramentum hoc esse panem heroum, cum sub illo sit realiter, et vere Christus, qui nec totus solum Deus, nec totus solum homo est, sed utrumque simul, verus Deus, et verus homo existens. Potest etiam aliter accipi panis heroum, quoniam huius panis ea virtus est, ut homines deficiat, ita ut dii sint pariter, et homines, id est vitam participant. Ad extremum pro re nostra sic quidam interpretatur: *Erit panis robustorum in terra, quae translatio convenit in sensu cum vulgata interpretatione, dicente, ut in principio refuli (Ps. 71): *Erit firmamentum in terra: huius enim divini panis propria virtus est, animae salutem confirmare, et spiritui vires addece, sicut scriptum est (Ps. 103): *Panis cor hominis confortat.* Sed ut iam concludam, sacramentum hoc, ut scripsit d. Thomas, signum est prognosticum, quoniam promittit nobis vitam, quae nos aeternae beatitudinis, et datur tanquam pignus aeternae felicitatis, ut proficere Ecclesiae: *Futurae gloriae pignus datur.* Omnibus manifestum est, rem, quam oppugnoramus, maioris esse oportere pretii, quam id pro quo illa oppugnatur; unde cum hoc sacramentum sit pignus futurae beatitudinis, necessarium est dicantur, quod Christus nobis dat in hoc coeli cibo, plus valere, quam ipsam beatificam visionem, in qua formaliter vita beata consistit. Sed insurget aliquis, dicens: si divinum istud sacramentum nobis pignus gloriae datur, cum pignus auferatur, adveniente tempore solutionis, et restitutionis illius, nome pignore ipso, et consecrator Christo carceribus? Quod omnium gravissimum damnum esse, qui dubitet est memo. Respondere gloria dabitur pro qua pignus acciperamus; et quoniam tunc pignore privabimur, quod est sacramentum, non tamen Christus, qui sacramentum substantia est: immo illum possidebimus, et videbimus amoto iam et sublato accidentium velamine: nec quidem id ad tempus, sed per omnem aeternitatem Deo perfruentes; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.****

HOMILIA VI.

Adductis variis tam naturalibus, quam supernaturalibus exemplis, portentosa, et nulla, quae circa veram Christi praesentiam in hoc sacramento se offerunt, facilia creditur ostenduntur.

Contemplanti mihi numerum difficultatum occurrentium humanae rationi in hoc sublimi sacramento, venit in mentem Cretensis ille labyrinthus, quem communiter auctores tam artificioso factum testantur, variis viarum anfractibus, occursibus, et recursibus adeo impeditum et confusum, ut cum aditus esset facilis, exitus haberetur difficilissimus: ac propterea, qui semel illic fuerat ingressus, exitum invenire non valens, manere cogebatur inclusus, et non raro obytam factus Minotauro, ab ipso intra labyrinthum degente, et humanis carnibus vescente trucidabatur. Quo mortis genere multi perierunt, donec Theseus Ariadnae consilio illi glomere arceps labyrinthum intravit, et occidens Aegeus labyrinthum intravit, quod ad introitum labyrinthi ligaverat, securus evasit. Est, ut mihi videtur, hoc infabile sacramentum mirabilis et mysticus labyrinthus, in quo variae sunt anfractuum, et viarum haec, atque illae tendentium difficultates, ad quas etsi facile sit accedere, nam nemini est arduum, non enim difficile est percontari, quomodo una substantia in alteram vertatur? quomodo subiecto careant accidentia? quomodo Christus proceras staturae spatio parvulae hostiae, immo et in quavis eius particula claudatur? has tamen superare, et errore liberari, ne in Minotauro carnificinam, id est, in haeresim adducamur cum sacramentariis, quorum mortiferis sermonibus quamplurimi perierunt, id certe difficillimum, et humanum intellectum non superabile est. Quamobrem unum nobis superest remedium, ne ullis huius labyrinthi erroribus in praecipitia duamur, immo certum, et felicem nostri itineris exitum sortiamur, glomeratum accipere filium; non quidem, quod Theseo quondam Ariadna dedit, sed quod ipsamet Christi Sponsa catholica Ecclesia praebet, hymnum angelici Doctoris canens: *Præstet fides supplementum sensuum defectui*. Fide namque duce omnibus errorum laqueis liberabimur, et difficultates, atque ambages omnes superabimus: nam etsi fides obscura est, ea tamen obscuritate lux fulget, ut dixit Ioannes (c. 1): *Et lux in tenebris luceat*. Qua etiam in re sacramentum hoc ideo a Christo vocatum mysterium fidei assimilatur eidem, siquidem, quemadmodum ipsa fides lux est caliginosa, ita Sol iustitiae Christus latet, et velatur in sacramento nube accidentium, iuxta velerem Dei consuetudinem, qui habitare gaudebat in caligine, et nebula, ut Salomon testatur (3. Reg. c. 8): *Dominus dixit, ut habitaret in nebula*. Divini ergo huius solis luce illustrati, et vestigiis quibusdam humanae rationis ducti, filium non Thesaecum,

sed catholicum apprehendentes, quod nobis ad fugiendum errorem fides dat, ingredi poterimus hunc tanti sacramenti labyrinthum, ab omni periculo, lapsu, et interitu securi, immo felicem de hoste victoriam, et triumphum reportantes. Quoniam si fide praevia diligenter, ac profunde rem consideremus, constabit nobis, praecipua opera Dei, tam quae sunt naturalis, quam supernaturalis ordinis, ab origine mundi convenisse, et conspirasse quodammodo ad huius divini sacramenti virtutem, et veritatem hominibus persuadendam. Hanc ego doctrinam ab Angelico Doctore accipi (in eius *opusculis* 59), ubi acute, ut solet, per decem suprema rerum genera, quae Dialectici vocant praedicamenta, discurrens, longum necit catalogum mirabilem, quae in singulis eorum resplendent circa sacramenti huius fidem, et quae illam reddere possunt faciliorem. Primum, si libet in praedicamento substantiae contemplari mysterium transubstantiationis, dum tota panis substantia in carnem, et tota substantia vini in sanguinem Christi convertitur: occurrit tibi, ut expeditior sit fides tanta difficultatis, uxor iusti Lot a Sodomae flammis liberata in salem transmutata; occurrit ducis populi Hebraeorum virga in serpente conversas; occurrit aqua, quae in nuptiis Chanae Galilaeae migravit in vinum; et in rebus naturalibus occurrit tibi cibus, et potus, quibus quotidie aleris, quae media virtute naturalis caloris in carnem, et sanguinem tuum transformantur: occurrunt vapores a terra surgentes in regionem aeream, qui glomerantur in nubes, quae post in aquam solvantur, et in terram decedentes in alios vapores, et interdum in parva animalcula, et insecta reformantur. Quod si contempleris quantitatis miraculum maximum, et prodigiosum, dum Christi corpus sub parvula hostiae particula, et indivisibili eius puncto, ut mea fert opinio, clauditur tantae proceritatis, et staturae, quantum in caelo habet ad Dei Patris dexteram sedens: occurrit tibi ad hanc difficultatem superandam nativitas eius ex Matre Virgine, absque ullo integritatis, et virginitalis maternae detrimento, ingressio eius ad discipulos ianuam clausam, exitus a sepulcro non amoto lapide: occurrit animae nostrae natura, quae tota corpori toti, et singulis eius partibus infusa est: occurrit oculatorum pupilla, quae etsi parva, virtute sua, et specie visibili magnitudinem turrium, et montium intra se complectitur. Quin etiam si in hac re intelligenda iuvari volumus, et promoveri ex his, quae humana immo et pauci fuerunt artifices, qui res magnas, et amplas intra loci angusti spatium concluserunt. Plinius enim (in *libris de nat. hist.*) refert, in quodam artifice tam ingeniose quadrigas ex eborum cum omnibus fermentis, rotis, et instrumentis necessariis fabricatas, ut eas muscae ala tegeret, similiter, ac eodem navim constructam, quae apud magnitudinem non excederet. Tradit quoque Plutarchus, ab Archimede insigni mathematico sphaeram ex vitro factam instar octavi caeli, pluribus stellis, et signis caelestibus convenienter, ac proprio loco dispositis, iuxta

quam praeiter aliae septem sphaerae clauderentur, quarum convexa superficies concavam aliarum sphaerarum tangebant ad similitudinem septem orbium caelestium, in quibus septem planetae errantes vagabantur, qui septem orbis momentis eisdem, quibus caelestes, movebantur, et opportunis temporibus astrorum cum planetis, et planetarum inter se conjunctiones, occurrunt, et aspectus cognoscebantur. Notam etiam est a nostrae aetatis inelyto artifice Giannello Turriano Cremonensi sphaeram, et horologium singulart artificio confectum: nam sphaeram fabricatus est intra duorum pedum diametrum, quae mille, et octingentis rotis, omnibusque instrumentis necessariis constabat, et per latera illius non tantum solis, et lunae horae, sed motus omnes notabantur, quos astrologi in decem circulis adnotarunt. Illic cerebatur vitus diei spatio primum mobile circumferri, caelum stellatum triginta sex vem diametrum, Saturnum annis triginta, Iovem duodecim, Martem duobus, Solem uno, Venere trecentis, et triginta octo diebus, Mercurium trecentis, et triginta octo, lunam mense uno paulo minus circumvolvi; sed horologium maioris ingenii, et artificii, quam praedictam sphaeram multi existimantur: nam illud intra vacuitatem lapidis angularis fabricatus est tam mirabili industria, et arte, ut lecti deni digiti gestantis anulum ferret, et horarum tempora distinguerentur. Historiis quoque memoratum est, Homeri Hliadem, quod non parvum volumen est, intra unius naucis corticem a quodam artifice fuisse inclusam. Si ergo res ita magnas ad tam angustum locum redigit humanum ingenium; quis dubitabit Dei sapientiam, et efficacem eius potentiam scire, et posse sacratissimum Christi corpus intra hostiae terminum, et quamlibet illius minimam particulam includere? Quod, si quae in hoc sacramento fiunt, ad praedicamentum qualitates pertinentia meditabimur, non ambigemus in eo abscondi corpus Christi, et eius gloriosas qualitates, qualis est pulchritudo, claritas, splendor, et id genus alia ornamenta, ac solummodo detegi, et exhiberi sensibus hostiae figuram, odorem, et saporem, quae sunt accidentia substantiae in Christi corpore conversae sine subiecto ibi existentia. Ad cuius veritatis probabilitatem occurrit tibi idem Christus in monte Thabor gloriosus, corpore tamen mortali; contra vero post resurrectionem habitu peregrini indutus, immo et hortulanus hortum excolentis, cum tamen iam esset corpore glorioso, et nec mortalitati, aut alii incommodis obnoxius: occurrunt et in ipsa natura alia multa, quae aliter, quam sunt, apparent: sol pallidus; luna rubicunda, et sanguinea; baculus aquis immersus, qui cum sit integer, fractus apparet, ac similiter nummus in aqua maior, quam revera est: et aegrotantis palato cibus acer, qui tamen in se ipso dulcissimus est: occurrunt artificiosae inversiones, et transmutationes, ut inde colligas, si daemonum illusionem praestigiosiores faciunt, ut longe aliter, quam sunt, res videantur, et ut virga representet viperam, capilli angues; quanto melius, et facilius Dei omnipotentia

valebit re ipsa apparere multo aliter, quam in caelo est; maxime cum nulla fraus, et dolus nullus interveniat: nam si oculus videret candorem, illic revera candor est, quem hostia continet. Si nares odorantur, gustus gustat, non fictum odorem, aut saporem, sed verum inveniant. Si consideramus idem mysterium, quoad praedicamentum relationis, quam Philosophus vocat, *Ad aliquid*, dum eadem verba consecrationis ad unam, et plures hostias etiam innumerabiles diriguntur, et referuntur, occurrat illico tibi, quod accidit visui, qui uno oculorum intuitu res procul positas, ac diversas, et plurimas pertingit: occurrit magister plures discipulos una voce docens: Pontifex multis granis, et imaginibus unam benedictionem imperans: Antistes una absolutione multos excommunicatos liberans vinculis anathematis. Praeterea si a praedicamento *Ad aliquid*, non recedentes considerare volumus relationem maioris ad minus, et minoris ad maius, non enim minus est quod hostia parva claudit, quod quod plures hostiae continent, occurrit tibi mamma, cuius ea virtus erat, ut qui solum collegissent gomor, genus est mensurae apud Hebraeos, minus non inveniret, quam qui plenos modios colegerant. Contemplantibus praedicamentum, *Actionis*, et experientibus re ipsa, quod accidentia panis, et vini corpus nutrit, et famem levat, ac praeiter ipsum Christi corpus animi nostri famem, et aviditatem exsaturat: occurrit panis, quem angelus dedit Eliae; qui exterius et interius fuit ab ore refectus, et roboratus; potuitque ad montem Oreb pervenire illo cibo animatus: quo etiam modo divinum hoc sacramentum est cibus, qui carnem sustentans, simul quoque exhilarat corpus, et confirmat spiritum, quemadmodum scriptum est (Ps. 103): *Panis carnis hominis confirmat*. Discutientibus praedicamentum *Passions*, dum cernitur hostia fracta in varias partes, et creditibus corpus Christi non pati fractionem, ut dixit d. Thomas: occurrit Isaiae ligatus, etiam sacrificandus, non tamen ille, sed agnus immolatur: occurrit etiam, quod uno fracto speculo, in quo integro vultum unum intuebamur, plures eiusdem vultus imagines representantur, neque tamen imagines illas aliquam pati propriae integritatis divisionem; et in corpore humano experitur animam non dividi ad humani corporis sectionem. Meditantibus praedicamentum, *Ubi*, et credentibus Christum simul in caelo, et innumerabilibus in hostiis, diversisque, ac remotissimis esse regionibus: occurrit conceptio mentis in vocem externam, et verbum emissa, quae non recedens ab intellectu loquentis, quemadmodum animadvertit Augustinus, in aures plurimorum audientium penetrat: occurrit species ipsa humana, quae una existens, in variis, multisque individuis est: occurrit anima rationis compos, quae omnes, ac singulas humani corporis partes informat. Considerantibus praedicamentum, *Quando*, et non dubitantibus divinum hoc sacramentum ab exordio nascentis Ecclesiae usque in hodiernum diem, et saeculi praesentis finem duraturum, quemadmodum eius auctor promisit (Matt. 28): *Ece vobiscum sum usque ad consummationem*

sacculi, idque absque ulla ipsius diminutione, et detrimento: occurret farina, et oleum, quae viduae non deficiet, quoniam Eliam sustentaverat: occurrent mirabiles illi quinque panes, quibus Dominus quinque hominum milia pavit: occurret lucernae lux, quae non minuitur, nec extinguatur, etiam si de illa plures aliae lucernae accendantur. Praedicamentum, *Situs*, perpendicularibus, per quod certa corporis positio, et loci occupatio notatur, et duo credentibus: primum, quod in hoc sacramento corpus Christi non habet situs positionem, nam quamvis sit quantum in hoc sacramento, non per modum quantitatatis, sed per modum substantiae esse, alterum, Christum in coelo empyreo esse positionis loci, quae omnium est perfectissima, videlicet stantem, et quietum, quemadmodum eum vidit Stephanus, cum dixit (*Act. 7*): *Ece video caelos apertos, et Iesum stantem a dextris Dei*: occurret qui vehitur navi, quae carente vectus quietis: occurret anima nostra, quae cum dextro brachio sursum erecto surgit, et in sinistro non motu quiescit. Consideranti denique praedicamentum, *Habitus*, occurret credenti, quod Deus non solum velavit faciem suam humanitatis amicta, ut scriptum est: *Hab tu inventus ut homo, sed etiam panis, et vini tegumento se induens, panis albedine, et vini tegumento se vestitum colore vidit eum Sponsus*, cum dixit (*Cant. 5*): *Sponsus meus candidus et rubicundus: quo etiam modo, et proportione alia multa tam in naturae, quam gratiae operibus reperietis exempla, et similitudines, quibus adit vestram valeatis allicere voluntatem, coelesti affluente favore, ad excitandum intellectum, ut se fidei, et catholicae veritati de veritate in hoc sacramento Christi praesentia libenter subiciat; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA VII.

Inter omnia Dei opera praesertim in hoc sacramento bonitas divina, sapientia, et omnipotentia resplendent.

Etsi verum est, in omnibus Dei operibus emanasse pariter bonitatem, sapientiam, et omnipotentiam, tamquam tres divinae manus digitos, quibus, quicquid est in rerum natura, creavit, et a quibus omnia pendent, et conservantur; unde Isaias (*c. 40*): *Qui tribus digitis appendit molem terrae*; in duobus tamen eius operibus insignioribus, quae sunt divini Verbi incarnatio, et sacramenti sui corporis institutio, tria haec divinae naturae attributa excellentius ostentantur. Sed ut loqui incipiam de bonitate, cui propria est sui ipsius communicatio, non inficior quod Deus per incarnationem nullum se communicaverit, id tamen non omnibus, sed uni, videlicet Christi humanitati concessit; ad per hoc sacramentum se communicat universis, infusus quoque sine

golorum peccatoribus, pulsans pro nimia benignitate sua ostium animae nostrae, admittitque postulans: unde Chrysostomus iure optimo Eucharistiae sacramentum vocat *Incarnationis extensionem*, quoniam Incarnationis mysterium in Christo terminum habuit, non enim alteri fuit unita divinitas; sed in hoc mysterio dilatata se, ac extendit adeo, ut in singulis quodammodo incarnari, et totus esse in omnibus, unaque et eadem cum ipsis res fieri velle videatur. Praeterea dubium non est, tunc magis splendere veram bonitatem, quando in sui communicatione expensas facit sumptuosiores, sine his enim quando bonitas exercetur, magis liberalitas, quam magnificentia appellanda est. Summam itaque Deum liberalitatem per opus Incarnationis ostenderit, datus nobis dilectum Filium suum; sed in huius sacramenti institutione singularem quandam magnificentiam, dum ad eius institutionem ingentes illas expensas profusionis sanguinis, et vitae praemisit: volebat namque mortis eius memoriam in hoc sacramento insculpere; quod primum in pane, ac deinde in vino peregit separatim, ut inde corporis Christi, et animae separatim significaretur. Huius sacrificii, et divinae magnificentiae typus fuit regis Assueri splendidissimum convivium; ad quod celebrandum omnes regni sui, et provinciarum proceres, ac principes convocari iussit, cuius convivii tanta fuit sumptus, et dapum, aliarumque rerum excellentia, ut de vino dicit sacra Scriptura (*Esther 1*): *Vinum quoque, ut magnificentiam regis dignum erat*. Quod etiam praesignavit alterum convivium, quo idem rex accepit reginam Esther, de cuius praesentia ita scriptum est: *Iussit convivium preparari permagnificum*: addit ibidem Scriptura, convivis dona, et numera pro regia liberalitate distributa: *Ac dona largitus est inexta magnificentiam principalem*. Fuit tam primum, quam secundum convivium imago magnificentiae, quae Deus usus est in hoc lautissimo, et splendidissimo convivio, nobis sacratissimam carnem suam pro cibo, et sanguinem pro potu ministrans. Non desunt, qui sentiant huic proposito accommodari posse verba Davidis (*Psal. 8*): *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, quoniam idem esse videtur ac si dixisset, magnam esse virtutem vocis, quae panem in carnem transmutaret, et non minorem liberalitatem, et munificentiam illius, qui corpus suum, sanguinem, animam, divinitatem, ac personam, cum omnibus, quae Dei sunt, communicare: non enim divina magnificentia habebat quo progredi ulterius valeret. Quod autem non minus excellenter fulgeat in hoc mysterio magna Dei sapientia, probare non admodum difficile est. Primum, nemo est, quem lateat, carnem comedere humanam, et sanguinem bibere, videri, et esse tam horribile, ut omnibus gentium sapientibus, et bene moratis nationibus detestationi semper fuerit; vixit tamen ea plusquam ferina crudelitas apud Scythas, Massagetas, Combos, Menanchinos, quos proleptea Anthropophagos, id est carnis humanis vescentes appellarunt, qui adeo erant inhumani, ut ipsis bestiis immaniores pro mauti-*

libus, et mappis hominum pelibus, barbis, et capillis pendebitis, uterentur. Indorum quoque nonnulli populi, tam impiam carnificinam in usu fuisse aetatis nostrae homines, apud ipsos verbum Dei promulgantes viderunt, quam hominibus indignissimam ferociam ipsa quoque sacra pagina detestari videtur, prohibens sanguinis animalium potum. Quod et constat manifestius (*ex lib. Reg.*), ubi David Salomoni praeciens, ut Ioab interficeret, quoniam duos ex populo Dei praestantes duces occidisset, suae lussionis causam assignat, delicti circumstantiam, inquit: *Et posuit cruorem praetii in baltheo suo, qui erat circa umbos, et in calcamento, quod erat in pedibus eius*. Quid vero diceret, si Ioab sanguinem illorum ducum bibisset, cum tam graviter tulerit David cruore fixisse baltheum, et suos pedes cruentasse? Martyrem Laurentium Hispaniae ornamentum, ut exprobraret tyranno inhumanitatem, quod se in craticula torreret iussisset, quasi manducandum, scimus divisisse: *Assatum est tam, versa, et manduca*. Non tamen abno tantam esse urgentis famis vim, ut ipsa dominante, naturae leges obliviscamur: unde compulsi aliquando sunt homines ad humanarum carnis usum, ut contigit Cambysi regi Persarum, qui dum per invia loca, et deserta exercitum ductabat adversus Aethyros, tantam passus esse inopiam, ut fame cogente, ex quolibet militum denario numero unus ab aliis comedendis sorte legeretur. Byzantii, nunc Constantinopolis, et Calaguri Hispaniae urbe, inelyti Rhethoris Quintilianus ortu nobili, tam dira fames oborta est, ut milites in se ipsos crudeliter saevierint, imbecillioribus occisis, quorum carnibus reliqui sustentarentur. Syriae rege obsidite Samariae urbem, tanta fames omnes invasit, ut quaedam crudelis mater proprium infantulum a se occisum simul cum vicina comederit; qua postea nolente tam impium facinus in filium suum patrare, prodiit vocibus et clamoribus, quae sum eo pacto comedendum ei praebuerat, postulans a rege, ut quod inter ipsas de comedendis illis conventum fuerat, liberet adimpleri. Civitatem Hierusalem a Tito Vespasiano obsessam tanta fames afflixit, ut mulier vocata Maria, hoc tam illustri nomine indignissima, filium proprium occidisse inventa fuerit, ut eius carnis vesceretur: quae inaudita crudelitas, et impietas omnium etiam crudelissimorum militum animos stupore, et horrore complevit. Constat ex dictis, humanarum carnis esum tam fuisse cunctis gentibus detestabilem, ut ratio naturalis abhorreat, lex prohibeat, consuetudo avertatur, et nemo non odio prosequatur; sapientiam tamen Dei adeo ingeniosa in nostrum comedendum est, ut modum invenerit, quo carnem comedamus, et sanguinem bibamus; idque tam procul absit a crudelitate, et immanitate barbarum, ut eius esus, et potus inter pietatis, et nostrae religionis opera referatur; et carnem illam manducantibus, et sanguinem bibentibus vita promittatur aeterna, quemadmodum Christus dixit: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*. Emicuit quoque divina sapientia hoc sacramentum instituens, quo

niam unde generis humani adversarius mortem intulerat, Deus nobis vitam attulit, opponens inobedientiae obsequium; ligiturque temperantiam; esae mortiferae alimentum salutare; ac morti tandem immortalitatem. Nam quemadmodum in rebus naturalibus earum conditor Deus innatus esse voluit contrarietatem, qua multo magis effluunt, dum frigida caliditas, et humida sicca pugnant; ac lepori canis, elephantus mus, ovi lupus adversatur, et ut dicit Sapiens (*Sap. c. 33*): *Contra malum bonum, et contra mortem vitam, et contra iustum peccator: et sic intueri in omni opere Allissimi, duo contra duo, et unum contra unum*; sic in rebus moralibus cum intervenissent ad inferendam malum instrumenta quatuor, arbor veluta, callidus serpens, Eva intemperans, Adam credulus, et imprudens; mirabilis Dei sapientia contra primum omnium parentem dedit secundum, qui est Christus, sicut scriptum est (*1. Cor. 33*): *Primum homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis*: contra inobsequentem Evam, et virginem aduacem, quae ad serpentis alloquium non exhorruit, Mariam obtemperantem, et modestissimam providit, quae ad angeli sermonem, et salutationem turbata fuit; contra paradisi arborem, sub cuius umbra vitam amissimus, vitae arborem, Crucis lignum invenit: *ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*: contra alimentum mortiferum, per quod ad omnes nos irrepsit, sui corporis cibum praeparavit, quo roboramur invalidi, et reficiamur, ac saliemur esurientes; contra mendaciam denique, quod diabolus dixit, promittens Evae, et Adam scientiam, et divinitatem, si de arbore vetula comederent, inquit (*Gen. 3*): *Noquam morti eritis sicut Dei*, proponitur nobis a Christo certissima veritas, quae vitam pollicetur immortalitatem: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*. Sed ut clarius cognoscatis magnam Dei sapientiam in hoc sublimi mysterio, non minus, immo magis, quam in sanctissime Incarnationis arcano fulgere, adducam ad id insinuandum, quod historis mandatum de pictore eximio Protogene legitur. Ahiunt enim Protogenem ingressum Apellis officinam, ut ipsum inviseret, eo non invento, lineae subtilissimae ab Apelle formatae aliam diverso colore superinduxisse, ac mox dixisse Apellis administris: dicite Apelli, ipsum quaeri ab eo, qui haec lineam suae superimposuit. Ille non diu post modum revertens, lineam intulit. Protogenis esse cogovit artificium, et arrepto penicillo laudis aemulus, quam formaverat Protogenes, tenuiore divisit, non sine magno adstantium stupore, cum supra omnem artem videretur, posse aliam superpositi subtiliorem, quam quae a Protogene formata fuerat. Ad hanc quasi modum Deus hominibus quondam revelaverat triangularem, ut ita dicam, Trinitatis, et unius divinitatis imaginem; sed volens sapientiam suam ostentare, subtiliter, qui aequalis erat Patri, se exinanivit, formam servi accipiens in Verbi persona, quae media est in divinis; sed ut amplius, et mirabilius sapientiae suae thesaurus aperiret, illam Christi personam humanitate indutam, etsi

lineam, liceat nunc ita mihi loqui, indivisibilem, et subtilissimam, ductu alterius lineae subtilioris, alio nempe mysterio mirabiliore, dividit, atque intersecat, sine aliqua prioris offensione, relinquens eam integram quoad propriam substantiam; dividens tamen quoad sacramentum: siquidem virtute verborum, quibus panis consecratur, tantum adest Christi corpus, et verbis calicis solus adest sanguis, etsi per naturalem concomitantiam, ut loquuntur theologi, integrum utrobique et perfectum Christi corpus existat. Potest etiam hoc mysterium aliquantulum adumbrari per certamen, quod inter Zeuxim, et Parrhasium egregios pingendi magistris fuisse memoratur a Plinio, qui narrat, Zeuxim puellum depinxisse cum calatho uvis pleno, tam mirabili artis perfectione, ac naturae imitatione, ut ad uvas depensandas in calatho expressas nimia similitudine deceptae volucres convolverint. Laudatum ab omnibus Zeuxis acumen, tam quod uvarum eximia similitudine aves attraxerit, quam quod puri effigiem tam artificiose simulasset, ut aves non absternerit. Parrhasius Zeuxis annularum tabulae rasae velum obtulit, cui adveniens, et tabulam deferenti dixit Zeuxis: *Velamen amove, ut tandem quam pinxisti figuram videam*; cui Parrhasius: *Victor ego sum in certamine, mihi palma debetur: nam si tua imago decept volucres, mea tibi artis peritissimum imposuit*. Nunc igitur ad rem nostram. Scilicet satis, et vulgatum est, Christum praefiguratum fuisse in racemo uvarum, quas de terra promissionis tulerunt exploratores; et Sponsa Christum vocat botrum (*Can. 1*): *Botrus Cyprae dilectus meus mihi*: ad hunc botrum volucres coeli devolarunt: sic enim a Christo vocantur daemones in parabola seminis, cum inquit (*Luc. 8*): *Volucres coeli comederunt illud*; sed illasae fuerunt in racemo humanitatis volucres illae rapacissimae, deceptae fuerunt foedissimae harpyae, a Suida vocatae rapaces daemones, quibus optime convenit Virgiliana harpyrum descriptio:

Tristis haud illis monstrum, nec saevior ulla
Pestis, et ira Deum stygiis sese extulit undis,
Virginei volucrum vultus, foedissima ventris
Ingluvies, uncaeque manus, et pallida saepe
(Ora fames)

Eluxit ergo hac in re mirabiliter divina sapientia, perspicacissimos diaboli oculos celans Filii sui divinitatem tam perfecta hominis similitudine, ut instar ceterorum hominum purus homo ab ipso solertissimo omnium machinarum, et fraudum daemone iudicatus fuerit. Multo tamen excellentius in velo sacramenti, quam in humanitatis amictu, divina solertia resplendit: siquidem velo corporis caudido, et rubeo sanguinis, non solum celat divinitatem Christi, sed etiam illam, quae dum inter nos versabatur, omnium oculis patebat, abscondit humanitatem, operans simul aliud mysterium, dum eisdem accidentibus panis, et vini figuram relinquit post substantiae conversionem; adeo ut qui sine fide mysterium illud inspiceret, non minus verum panem, et vinum,

quam ante consecrationem iudicaret. Veritas tamen catholica docet, nullam ibi esse panis, aut vini substantiam; sed quemadmodum a Parrhasio depictum velum nullam occultabat imaginem, et putavit Zeuxis, sic accidentium in hoc sacramento velamina non panis, et vini, sed Christi solam substantiam, et humanitatem operiunt. Quoniam tamen, ut divina consilia sum assequerentur effectum, non satis erat velle communicare se, quod ad eius perficere bonitatem, nec satis erat invenisse modum huius communicationis, quod proprium suae sapientiae est, sed opus erat Dei omnipotentia, quae Deo placita exequeretur, et ad finem perduceret: unde necessarium est, ut omnia Dei opera, non solum bonitate illius, et sapientia, sed potentia quoque commendentur, et illustrentur. Divinam potentiam in mysterio Incarnationis excellenter, et mirabiliter vires suas ostendisse nemo dubitat, ut testata est Christi Mater sanctissima (*Luc. 1*): *Fecit potentiam in brachio suo*; in hoc tamen sacramenti opere patrando adhuc eius omnipotentia clarior ostentatur: nam si Deus in Verbi incarnatione humanitatem Christi sine supposito humani subsidio sustentat, id efficit, divinum ei praestans suppositum; in hoc autem sacramento accidentia sustentantur sine aliquo supposito illa sustentante, aut subiecto sustentante: nam licet corpus Christi substantiae panis, et vini succedat, non adest, ut illorum subiectum, sed ipsam panis, et vini quantitatem, cui reliqua adhaerent accidentia, sine aliquo subiecto Deo effective sustentat, ipsis tamen minori firmitate, quam si proprio, et naturali subiecto niteretur. Quod si Deus in Filii sui incarnatione sacram eius humanitatem stabilem reddit, et divinam, id efficit per hypostaticam unionem humanitatis ad suppositum divinam; sed in hoc sacramento, quod sustentat spiritum caro, et ea quidem, quae suapte natura debilis est, tantam praebet fortitudinem, res est cogitata maior, et quae ineffabilem utrumque mysterium contemplantibus parit admirationem. Quod enim in sacris litteris magis reprehenditur, quam caro, et sanguis? Vix his nominibus utitur Spiritus sanctus, nisi ad imbecillitatem, et ignorantiam, ac interdum ad culpam significandam. Hinc tam displicuisse Deo carnem, et sanguinem ceruinum, ut non aliam ipse assignaverit causam, nisi carnis, quod in homine permanere nollet (*Genes. 6*): *Non permanebit, inquit, spiritus meus in homine, quia caro est*. Isaias carnem vocavit foenum (*c. 4*): *Omnis caro foenum*; et Ioannes hoc etiam nomine filios Dei a ceteris distinguit (*c. 1*): *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*. Et Petro confitenti Christum esse Dei Filium, respondit ipse (*Matt. 16*): *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi*. Carnem etiam, et sanguinem Gentium Apostolos Paulus a regno caelorum repellit, inveniens (*1. Cor. 6*): *Caro, et sanguis non possidebunt regnum Dei*. Haec quamvis ita se habeant, et tamen potentia in hoc sacramento tanta est, ut per carnem, et sanguinem praebet spiritui fortitudinem, et vitam, efficiens, ut que-

madmodum carni ab Adamo propagatae anima infusa, factu carnis inficitur, et maculatur, sic animam nostram tactus purissimae carnis Christi reddat puram, sanctam, ac aeternae vitae participem: nam cum divinum Verbum, in quo est vitae fons, ut scriptum est (*Psal. 35*): *Apud te est fons vitae*, sit Christi carni unitum, virtutem carni eius communicat vilam dando eam manducantibus, ut s. Cyrillus (*lib. 4. in Ioan. cap. 12*) his verbis testatur: *Vivificationem Dei Verbum univens seipsum propriae carni fecit ipsam vivificationem*; et (*c. 24*) addit: *Si enim mel cum naturaliter dulcescit, ea dulcia facit, quibus immiscetur; quanto magis vivifica Dei natura dedit homini, in quo habitat, vivificantem virtutem?* Quemadmodum etiam Deus per amici sui umbram, vel tactum sanans aegrotos, magis suam explicat potentiam, quam si per se absque aliquo medio sanaret; sic in hoc sacramento per Christi carnem praebens vitam humanae menti, multo magis Dei omnipotentia commendatur. Sed ut omnis de hac re, quoad fieri poterit, difficultas superetur, consideremus etiam in hoc sacramento mysterium Incarnationis includi: nam cum Christi, et consequenter Dei carnem confineat, et caro Dei esse non possit absque unionem Verbi divini hypostatica, ut innunt verba Christi: *Panis, quem ego dabo, caro mea est*; et illa panis et vini conversio, ut loquitur Trid. Synodus, transubstantiatio sit, per quam ibi esse desinit panis, et Christi esse incipit caro, quae absque Verbi persona esse non potest, alias Dei caro non esset, propterea quoties sacerdos consecrat panem, et vinum, toties mediis consecrationis verbis operatur realem praesentiam carnis Verbo divino unitae; et incarnationis mysterium denuo instaurat: est enim de ratione, et natura huius sacramenti, ut substantiam, quam continet, non alia nisi Christi caro sit. Vel dicamus, ut docet sanctus Thomas (*3. p. q. 73. c. 5. in respons. 2. argum.*), huius sacramenti institutionem, eo modo, quo facta est, divini Verbi incarnationis praecedere tempore non potuisse: eius verbi sunt: *Non potuit institui ante Incarnationem*. Quare si mysterium Eucharistiae continet arcum Incarnationis ex una parte, et ex altera tot includit, et tam prodigiosa miracula, quibus se toties naturae absolutum dominum, et autorem Deus ostendit, dum leges, et privilegia naturae violans, et consuetudinem transgrediens, unam in alteram omnino convertit substantiam, praebens accidentibus esse instar substantiae, et Christi corpori instar spiritus, dum totus in toto, et quavis totius hostiae parte laet, mirabiliter efficiens, ut contentum maius sit continente, et unus et idem existens in locis sit remotissimis, ac diversis praesens; merito dicere possum, in hoc sublimi mysterio Dei omnipotentiam pluribus adhuc modis, et admirabilioribus, quam in mysterio Incarnationis, demonstrari. Quam ob causam fides Christi historicus Ioannes, antequam de huius sacramenti institutione tractare inciperet, ut id quod tam diximus indicaret, ait (*Ioan. 13*): *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*: quoniam per tam mirificum opus divinae po-

lentiae praestantia, et excellentia praesentiam insinuat. Pro qua etiam re animadverti potest, ubi vulgata nostra veritas (*Proc. 23*): *Quando sederis ad mensam cum Principe*, quae verba sanctus Chrysostomus applicat laico divino convivio, alii legunt, *Cum sederis ad mensam potentis*: nam etsi convivium illud sit mensa sapientis, munifici, locupletis, quae sunt epitheta Deo aptissima; quia tamen, dum se Deus communicat hominibus, tanquam eorum cibum, et alimentum, ideo mensa vocatur potentis; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HONILIA VIII.

Ardentissimus Christi amor erga nos ex divini huius sacramenti institutione monstratur, et eius esse proprium, animos eorum, qui illud digne accipiunt, benevolentia, et charitate coniungere.

Sapientissimus Plato, quem alii divinum appellatur propter singularem sapientiam, qua locutus de Deo est, causam discutiens, ob quam hominibus tot bona divinitus communicarentur, Deo amorem esse dixit: quem ideo omnium Deorum antiquissimum pariter, et novissimum vocavit, innuens inde, ut explicat Augustinus de *Crit. Dei*, quod amor Dei, etsi antiquus in se ipso, est novus quoad eius effectus: nam frequenter nova sui amoris exhibet argumenta. Non eo indicias, plurimum divinum amorem fuisse demonstratum in naturae humanae assumptione, plurimum in crucis passione, quam pro nobis toleravit; sed haec beneficia, etsi quidem ampla satis fuerunt, illis semel nos Deum affecit: hoc autem beneficium sacramenti Eucharistiae non solum excellit, quod per illud nobis communicatur quiddam eximium, et pretiosum, tam in naturae, quam in gratiae rebus existit, nam in natura nihil est perfectius, vel excellentius, quam Christi corpus, nec praestantior liquor, quam sanguis eiusdem: et in gratiae operibus nihil sublimius, quam unum hypostaticam, qua humana natura divino Verbo coniuncta fuit, sed etiam excellit, quod singulari praerogativa non semel, ut Incarnationi Verbi fuit, sed toties, quoties sacerdos proferat verba consecrationis debita cum intentione, in materiam sufficientem instauratur, et renovatur, hincque recentes, ac novae panis, et vini in Christi corpus, et sanguinem conversiones. Quod certe amplissimum beneficium continuationis, et perpetuitatis tam divini sacramenti non aliunde fluxit, quam ab inflammato Dei in nos amore, ut nostra cum illo societas continuaretur. Qua ex re nobis ostenditur triumphus, quem Christi adeptus amor est, qui certamen inuens cum ipsa inestale, et omnipotentia Dei, arcum suae charitatis intendens, Deum ardentibus sagittis vulneravit, et in terram deiecit, hoc est carnem assumere fecit; nec hoc contentus triumpho il-